
PROLEGOMENA.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN J. CASSIANUM.

(Schœnemanni Biblioth. Lipsiæ 1794, tom. II.)

CAPUT PRIMUM.

Vita Joannis Cassiani.

Vulgaris est opinio, nixa auctoritate Gennadii, Cassianum ex Scythia minore, una ex provinciis Thraciæ, fuisse oriundum. Attamen recentiori ævo fuerunt viri docti, qui argumentis haud contemnendis, præsertim ab amœnitate et fertilitate, quam ipse in patria extollit, itemque linguæ Latinæ quam in scriptis prodit elegantia ductis, contenderunt, natales ejus ad Galliam et in specie Provinciam esse referendas. Quidquid verum sit, ab ineunte ætate (*natus autem creditur circa annum 350 aut 360*), incertum quo pacto, apud monachos Palæstinæ, in monasterio quodam, quod Bethlehem audiebat, diverso illo tamen ab Hieronymiano ejusdem nominis, quod serius fuit exstructum, educatus ibique primum religionis Christianæ doctrinis imbutus est. Nactus autem sodalem, quocum familiarissime vivebat, Germanum nomine, conterraneum eundem, consilium cum eo iniit anachoretas in eremo Scythi (a) constitutos circumeundi. Susceptum est arduum hoc iter anno circiter 390. Penetrabant ad interiora Thebaidis et septem integros annos inter horridos illos sanctos exigebant. Quid? quod eodem quo in monasterium reversi erant anno (397), denuo se profectio- ni isti commiserunt et in tristi illo terrarum angulo ad annum usque 400 delituerunt. Judices ergo an injuria eremitæ nomen Cassianus ferat.

Relicto iterum deserto, Cassianus cum sodali suo C Constantinopolim proficiscitur, Joanni Chrysostomo adhæret ab eoque diaconi munere ornatur. Mox ubi ille a perditorum hominum turba de sede sua esset dejectus, ejus causa (a. 405) cum legatione Cleri Constantinopolitani ad Innocentium missus est. Ex illo vero tempore ad annum ferme 415, memoria ejus in obscuro est. Sunt qui in Orientem reversum cum dicant eundemque existiment cum Cassiano presbytero, qui a. 414 ab Alexandro Antiochiæ episcopo Romam missus fuit ad pacem inter utramque Ecclesiam reconciliandam; alii tamen jam tum Massiliam eum concessisse putant, ubi presbyteri dignitate auctus est, et ab eo ferme quem modo indicavimus anno tam vitæ quam doctrinæ existimatione fuit conspicuus. Inclaruit imprimis fundatis duobus, D altero virorum, altero virginum monasteriis, quorum disciplinam ad Palæstinæ et Ægypti regulas compo-

A sitam ipse moderabatur, et tum suo, tum scriptorum suorum exemplis egregie confirmabat, licet fama hisce editis parta non omni labe carere potuit. Quamvis enim Pelagianorum strenuus esset adversarius, ea tamen super peccato originali et gratia dogmata aluit, quibus ipse hæresiarchæ nomen consequeretur, quæque non leves in Gallia aliisque provinciis motus et contra auctorem quidem Prosperi calamum excitarent. Nihilominus quidquid in aliis hæresis speciem præferret quam maxime detestabatur coronavitque gesta sua impugnatione acerrima erroris Nestoriani. Tempus quo vivere desierit, non liquet, sed non multo a vero aberraverit, qui circa a. 440 obitum ejus contigisse existimet.

CAPUT II.

Scripta Joannis Cassiani.

- B
1. *De Institutis cœnobiolorum libri XII, ad Castorem Aptensem episcopum, cujus hortatu sunt compositi.* Gennadius tribuit in tres partes, quarum media seu liber quartus solus *Institutiones* continet; prima, tribus libris constans, *de habitu monachi et de canonico orationum atque Psalmorum modo, qui in monasteriis Ægypti tenetur; tertia denique octo posterioribus libris comprehensa de origine, qualitate et remediis principalium vitiorum* inscribitur. Photius duos libros facit, *Institutionum* alterum, alterum *de octo capitalibus vitiis* inscriptum; eamque divisionem secutus est Guychius. Cassianus ipse non nisi unum et continuum XII librorum opus agnoscit, quod perfectam vitam monasticam exemplis et præceptis docet. Tempus, quo scripti sint, accurate definire non licet. Id unum censent *Benedictini Historiæ litterariæ Galliæ auctores, scriptos esse ante Pelagianorum per Innocentium et Zosimum damnationem, h. e. ante annos 417 aut 418.*
 2. *Collationes Patrum XXIV diversis temporibus intra annos 419 et 427 litteris mandatæ.* Decem priores Leontio episcopo Forojuliensi et Helladio S. Castoris Abbati; septem sequentes Honora mox episcopo Arelatensi; septem posteriores Joviano et Minervio aliisque monachis inscribuntur.
 3. *De Incarnatione Christi adversus Nestorium libri VII, circa annum 430 exarati et Leoni tum Diacono, post episcopo Romano inscripti.*

(a) Sic ipse in *Collationibus* ab initio. Alii *Scythiæ* legunt. Eremus erat juxta Maream lacum in Ægypto, PATROL. XLIX.

quæ alias etiam *Scetis, Scetica, Scetina, Scetiaca, et Scythica, Scythiaca, Scythiotica* appellatur.

Falso Cassiano ascribuntur, *De spirituali medicina Monachi* seu *Dosis medica ad exinaniendos animi affectus*, quam Godefridus Tilmannus Carthusianus in epistola quadam ad Joannem Gropperum archidiaconum S. Gereonis ad Coloniam Agrippinam, tamquam ex Græco a se conversam recitat. Particula est brevissima, quam totam inseruit Jo. Bapt. Guesnay Cassiano illustrato lib. I, c. 58, p. 188. Ejusdem farinae sunt *Theologica Confessio* et *de Conflictu vitiorum et virtutum*. Alia commemorare tædet. Tillemontii conjectura fuit *Acta S. Victoris Martyris* apud Ruinartum obvia Cassianum auctorem habere, cui tamen Auctores Historiæ litt. Galliæ non consentiunt. Condidisse præterea fertur Cassianus, quæ nunc quidem non exstat, *Regulam Monasticam*. Patere illud aiunt Benedictini modo laudati ex Castoris Aptensis episcopi ad Cassianum epistola. Sed hoc perperam ab ipsis traditum esse cognovimus. Contra Benedicti vero Anianensis testimonium jam ab aliis monitum est, id haud novam et peculiarem Cassiani regulam, sed excerptam quamdam ex diversis institutionum ejus locis concernere.

Creditum a quibusdam fuit, Cassianum opera sua non Latino, sed Græco idiomate scripsisse, eaque postea esse translata; sed hi dudum erroris convicti sunt. Exstant quidem Græca quædam Cassiani apud Photium in Bibliotheca cod. 197, sed ex Latino conversa, nec vero ex ipsis Cassiani libris, sed quos in compendium redegerat *Eucherius Lugdunensis*. Legimus enim apud Gennadium c. 63, Eucherium composuisse Epitomen Latinam ex prioribus IV libris Institutionum et VII prioribus Collationum. Atque nunc etiam Græca ejusmodi ms. supersunt in variis Bibliothecis, veluti in Cæsarea, teste Lambecio, tomo IV pag. 167 (ed. Kollar. pag. 373 sqq.), et tomo V, p. 276 (ed. Kollar. pag. 582 sqq.); item Regia et Jesuitarum Paris., ut Fabricius in *Bibl. M. et Inf. Lat. ex Simonii Censura ad Dupinii bibliothecam refert*. Similia typis tradita sunt, quæ sub Athanasii nomine ferebantur a *Montefalcone* ad *Athanasii Opera*, tomo II, parte I, pag. 366-386.

Joannes Rosweyda inter Vitas Patrum exhibet librum ordine quartum ex Severo Sulpicio et Joanne Cassiano concinnatum et in mss. codicibus, quorum haud paucos ille consuluit, modo Sulpicio, modo Cassiano inscriptum. Ambigit ergo Jo. Bapt. Guesnay in . I. Eucherione hæc Epitome tribui possit, an forte id Victorem quemdam Afrum, de quo Cassiodorus c. 29 Institutionum scribit, eum dicta Cassiani purgasse et quæ defuissent addidisse, referenda sit. Sed Cassiodori verba non tam epitomen, quam expurgationem errorum significare videntur.

CAPUT III.

Editiones operum Joannis Cassiani.

I.

Institutionum libros IV et de causis et remediis vitiorum octo primum, si vera tradit Fabricius proderunt officinæ Venetorum a. 1481. Certa est editio

Basileensis a. 1485, expressa iterum *ibidem apud Amerbachium* a. 1497, et *Lugduni* 1516. Additæ sunt *Collationes in Veneta* a. 1491, recusa *Bononiæ* 1521, et *Lugduni* 1525, quæ omnia simul paraphrastice redita a *Dionysio Carthusiano* lucem viderunt *Coloniæ* 1540. *Libros VII contra Nestorium* primus, quantum memini, seorsim extulit *Cratander Basileensis typographus* a. 1534, cujus exemplum repetierunt *Parisienses* bibliopolæ a. 1545 et 1569, idemque repræsentavit notulis nonnullis adpersis a. 1572 *Josua Simlerus*. Dehinc prima operum collectio in officina *Henrico-Petrina*, et una cum Joannis Damasceni operibus a. 1559, iterumque 1569, et tertio 1575 excusa.

Desiderabatur jam vir doctus, qui partim vitia, quæ crebra non potuerat non admittere in tali auctore librorum manus, mss. atque editorum codicum collatione et judicio sagaci eximeret, partim obscura et difficiliora elucidaret et de erroribus auctoris merneret; quamquam ipsa librorum indoles non quemvis criticæ artis gnarum capere atque invitare poterat, sed magis expectandi erant viri monasticis studiis innutriti et alacres ad ea promovenda. Talem, credo, reperisse sibi videbatur cardinalis de ecclesiastica litteratura meritissimus *Antonius Carafa*, cum *Henrico Cuychio*, professori Lovaniensi, postea episcopo Ruremondano, Cassianum commendaret. Sed eodem tempore stimulabat magni nominis criticum et elegantioris doctrinæ laude florentissimum virum *Petrum Ciacconium* presbyterum Toletanum, ut eidem expurgando manus admoveret. Uterque etsi posterior fortasse invitatus voluntati ejus auctoritati- que de ratione, qua partes editoris ab iis administrari cuperet, obsecuti sunt, et Cuychius novam Cassiani editionem ad codices Belgicos emendatam et notis commodis illustratam emisit *Antuerpiæ ex off. Plantin*. 1578. Ciacconius vero recensionem, quam ad octo mss. exemplaria *Bibl. Vaticanæ* paraverat, typis descriptam non vidit. Obiit enim diem supremum a. 1581: illam vero ex autographo ipsius excudi fecit *Dominicus Basa typographus Romanus* a. 1588, nisi forte annus 1580 pro vero hujus editionis natali habendus, eademque postea novo titulo a. 1588 præferente sit ornata. Certe annus 1580 ascriptus est epistolæ dedicatoriæ, quam idem typographus præfixit ad *Gregorium XIII*. Illud saltem certo inde discimus, Ciacconium ipsum hujus auctoris edendi curam suscipere noluisse, sed lucubrationes suas cardinali transmisisse. Repetita est Romana editio *Lugduni* 1606, et *Romæ* 1611; Cuychianam singulatim repetitam non memini. Ex utraque vero facili methodo unam concinnavit *Alardus Gazæus* (*Gazet*) monachus *Vedastinus Atrebatensis* (*de l'Abbaye de St.-Vaast de l'ordre de St.-Benoit à Arras*), secutus in plerisque Cuychium, ita tamen ut Ciacconium aliosque prius editos, immo etiam novos quosdam mss. codices non negligeret. Addidit de suo Commentarium perpetuum omnium ordinum religionis, præcipue vero Benedictinis utilem; atque sic instructa prodiit hæc editio *Duaci* a. 1616, III tomis in-8°, indeque sæpius variis

in locis et novissime Lipsiæ 1733 typis describi meruit. Sequuntur *Annales singularum editionum.*

SÆCULO XV.

1485.

Basileæ, in fol. Cassianus de Institutis cœnobiorum, origine, causis et remediis vitiorum, collationibusque Patrum. In fine : *Expliciunt viginti quatuor collationes sanctorum Patrum conscripte ab Joanne heremita qui et Cassianus dicitur. Impresse Basileæ anno Domini MCCCCLXXXV.*

Textum præcedit *registrum* alphabeticum rerum et *sententiarum* memorabilium, in quo ad libros et capita singula excitantur. In aversa tituli pagina legitur : *Auctor quis ac qualis fuerit : quos libros : ad quos : et de quibus scripserit : commendatitia brevisque expositio in hanc sententiam desinens : Ut igitur præclari hujus viri (Cassiani) Opera tanta commendatione digna ab omnibus legere cupientibus facilius haberi possint : nuper in inclita Basileensium urbe post accuratissimam eorundem emendationem : artificiosamque et perutilem et antea non visam distinctionem : singula cum inscriptionibus suis : in hoc unum corpus sunt collecta : elimatisque litterarum characteribus ut liquido cernitur impressa : ad frugiferæ artis impressoriæ commendationem : omniumque diligenter in his legentium utilitatem : Salvatorisque nostri Jesu Christi gloriam et honorem : qui est benedictus in sæcula : anno nativitatis ejusdem MCCCCLXXXV. De eodem argumento versus hexametri sexaginta adjecti sunt in secunda pagina noni ex foliis registri, qui incipiunt : *Cæsaris imperio famuletur Rhomulus orbis, etc. et desinunt : Sermones Abrahamæ : de carnis lege domandæ. Epigraphen faciunt hi duo : Quos opus hoc libros teneat cognoscere si vis. Et quid quisque tenet : subscriptos perlege versus.**

Impressum est volumen typis Gothicis grandibus, sed tenuioribus et acutis, binis columnis abs numeris et custodibus. Plagulæ signatæ sunt; adsunt etiam librorum tituli majusculo characterè exarati in summa ora, et litteræ initiales minutæ in capitulis.

Id unum fere singulare in characteribus observavimus, quod syllaba *is* in fine vocum per compendium lineæ rectæ perpendicularis desuper paululum versus sinistram inflexæ exarata sit. Eandem ed. servabat olim *Bibl. Ducis de la Vallière*. Cæterum *D* Fabricius in *Bibl. M. et I. Lat.* laudat editionem *Venetam* a. 1481, quam equidem tamen tantisper inter fabulas habeo, donec aliud fuero edoctus.

1491.

Venetis, in-fol. Jo. Cassianus de Institutis cœnobiorum : et ejusdem Collationes Patrum. Producit *Maettarius T. I, p. 11, p. 538, ex Bibl. Menarsianæ Catalogo p. 19, n. 161.* Exstabat etiam in *Bibl. Pinell.*

1497.

Basileæ per Jo. Amerbach; in-4º. Joannes Cassianus de Institutis cœnobiorum, etc., ut in prima. In

A fine : *Expliciunt, etc. Impressæ Basileæ per magistrum Joannem Amerbach. Anno Domini M.CCCC. LXXXVII. et subter : Deo gratias.*

Prima Basileensis ad singula verba est descripta characterè Gothico minuto, binis columnis.

SÆCULO XVI.

1516.

Lugduni; in-8º. Joannis Eremitæ, qui et Cassianus dicitur, Vita et libri XII, videlicet : de Cœnobiorum Institutis libri IV, et de Octo Vitiis capitalibus libri VIII. *Cat. Bibl. Bodlei. Auctores Historiæ Litt Galliæ T. II, p. 224, apud Simonem Bevilaquam Lugdunensem typographum hanc editionem impressam ferunt.*

1521.

B *Bononiæ, apud Benedict. Hector; in-8º.* Joannis Eremitæ, qui et Cassianus dicitur, opus de Institutis cœnobiorum, origine, causis et remediis vitiorum, Collationibusque Patrum. *Cat. Bibl. Reg. Paris. T. I, p. 382, n. 772.*

1525.

Lugduni, per Jacobum Myt.; in-8º, Iidem libri Sponsoribus Patribus Maurinis in Hist. litt. Galliæ l. I.

1528.

(In fine :) *Haganoæ (a), per Joh. Secerium, mense Martio, in-4º.* D. Cassiani Constantinopolitani diaconi de Lib. Arbitrio Collatio. Octo plagulæ luculento characterè Romano, ut Justinus duobus annis ante ibidem excusus, impressæ. Exstat etiam in *Cat. Bibl. Reg. Paris.* Collatio hæc in opere integro est vigesima tertia. Rescidit autem editor, ut Patres Maurini modo laudati monent, caput ultimum, ejusque loco XVII alia ex aliis Collationibus consarcinata substituit, ut si justum velis esse titulum, inscribi debuisset, *Tractatus de Libero Arbitrio ex Cassiani Collationibus, præsertim XXIII descriptus.*

1540.

Coloniæ, ex officina Melch. Novesianum; in-fol. Joannis Cassiani libri XII de Institutis cœnobiorum et de vitiis capitalibus, nec non libri duo Collationum XXIV SS. Patrum paraphrasticè redditi, studio *Dionysii Carthusiani.* Adjecta est D. Joannis Climaci scala Paradisi, Latine, ex interpretatione Ambrosii monachi. *Cat. Bibl. Bodlei. Paris. Reg. et Casanatens.*

1542.

Lugduni, apud Jacobum Giunta; in-8º. Collationes Patrum. Opus Joannis Eremitæ, qui et Cassianus dicitur, de Institutis cœnobiorum, origine, causis et remediis vitiorum, Collationibusque Patrum. Addita Auctoris vita. *Cat. Bibl. Casanat. It. Cat. de la Bibl de St-Jacques, à Liège 1788, p. 190.*

1559.

Basileæ, ex off. Henrico-Petrina; in fol. Joannis Cassiani opera aliquot cum S. Joannis Damasceni opp.

(a) Id est Haynæ (Grossen-Hayn) in Saxonia Superiori, ut recte Benedictini : à Hayn, dans la Haute-Saxe

Jam pridem, nempe a. 1548 omnia ex eadem officina prodierant Joannis Damasceni opera, quam editionem in hac esse recusam, haud incertum videtur, tametsi illa Cassianum non complexa fuerit, ut ex titulo illius in *Cat. Bibl. Reg. Paris.* obvio T. I, p. 357, n. 382, apparet.

1572.

Tiguri, in-fol. Joannis Cassiani de Incarnatione Christi contra Nestorium hæreticum ad Leonem Romanæ urbis episcopum, libri VII; inter *Scripta veterum Latina de una persona et duab. nat. Christi* edita a Josua Simlero, pag. 17. Additæ sunt *Vita Cassiani et annotationes* in libros ejus a pag. 47.

1575.

Basileæ, ex off. Henrico-Petrina, mense Septembri; in fol. TA TOY MAK. IQANNOY TOY ΔΑΜΑΣΚΗΝΟΥ ἘΡΜΙΤΑ. Joannis Damasceni opera omnia, quæ quidem exstant: maxima parte hactenus non visa. Item: Joannis Cassiani Eremitæ non prorsus dissimilis argumenti libri aliquot, quorum omnium, tam hujus, quam illius elenchum, versa pagina, singulorum autem argumenta in præfatione reperies. Accessit Joan. Damasceni operibus, itemque Cassiani, rerum ac verborum memorabilium, nec non locorum sacræ Scripturæ, quæ in his explicantur atque allegantur, trigeminus index quam diligentissime conscriptus.

Insunt omnia Cassiani, nempe de *Inst. cœnob.* l. IV, a fol. 903; de *Octo Vitiis capitalibus* l. VIII, a fol. 932; *Collationes PP.* XXIV, a fol. 990; et libri VII contra Nestorium, a fol. 1239. Præfatus est *Marcus Hopperus* Basileensis, epistola ad Thomam a Planta episc. Curiensem seu Rhœtiæ altæ d. *Bas. Kalend. August. 1575*; sed de ratione, qua in tractando auctore vel ipse vel superiores editores usi fuerint, altum tenet silentium.

1560.

Romæ, in-8°. Jo. Cassiani Vitæ Patrum ex ejus *Institutionibus Renuntiantium et Collationibus excerptæ*: in *Vitis SS. Aloysii Lipomani*, tota parte II.

1578.

Antuerpiæ, ex offic. Christophori Plantini; in-8°. D. Joannis Cassiani Eremitæ, *Monasticarum Institutionum* libri IV, de *Vitiis capitalibus* lib. VIII. *Collationes SS. Patrum XXIV*, de *Verbi Incarnatione* lib. VII. Nunc demum post varias editiones ad complurium mss. fidem a non paucis mendarum millibus incredibili labore expurgati: id quod ex subjectis ad calcem castigationibus facile cognosci poterit. Ad ditis etiam ad quædam loca censoriis notationibus, et obscurarum vocum ac sententiarum elucidatione, una cum duobus indicibus locupletissimis. Accesserunt quoque *Regulæ SS. Patrum* ex antiquissimo *Affliginiensis* monasterii ms. codice desumptæ. Opera et studio *Henrici Cuychii* sacræ theologiæ licentiatii (postea episcopi Ruremondensis).

Editor in epistola ad Hermannum comitem a Renneborch Ecclesiæ S. Salvatoris apud Ultrajectinos præpositum et archidiaconum, etc. (data Lovanii ex Albarum Dominarum monasterio, *Calendis Mart.*

M. D. LXXVIII.) multa conquestus de sæculi propter enormem in libris scribendis intemperantiam librorumque simul proterviam et corruptelam infelicitate; eam ob causam inter illos, quos Christiana resp. Dominicæ vineæ cultores habet, non contemnendam operam navare, censet eos, qui veterum mss. codicum fide adjuti, in restituendis emaculandisque SS. Patrum monumentis, iisque legendis ac perdiscendis omne suum studium collocent. Quod ne absque causa dixisse videretur ad laudes et commendationem Patrum se convertit, sed mox ad se rediens: Quoniam autem, inquit, partim temporum injuria et vetustate, partim scribarum oscitantia, partim etiam hæreticorum insolenti temeritate horum labores compluribus in locis fœdati et multis mendis respersi sunt, et multa passim loca in eis occurrunt hiulca, distorta, manca, confusa et veluti scopæ dissolutæ: idcirco danda est opera, ut ex vetustissimis optimisque exemplaribus mss. suo nitore et integritati quam accuratissime restituantur. Ea igitur res me quoque permovit, mihi que persuasit operæ pretium remque omnibus divinarum litterarum cultoribus, et cum primis monasticæ perfectionis amatoribus neutiquam ingratam me facturum; si in repurgando illustrandoque Joanne Cassiano aliquid operæ collocarem. Quod ut facerem, illustrissimi atque amplissimi cardinalis D. Antonii Carafæ auctoritas, quæ maximi apud me momenti est, effecit. Is enim, datis ad me ex urbe litteris id sibi gratum et Christianæ reip. non incommodum fore scripsit; et quid in ejus auctoris recognitione fieri potissimum vellet, exposuit. Quid vero in ea re a nobis præstitum sit, aliorum esto judicium. Illud unum affirmare audeo: quod si quis hanc nostram cum prioribus editionibus, quas tum a Basiliensibus, tum a Lugdunensibus paucis abhinc annis accepimus, compararit (omitto antiquiores impressos codices, in quibus omnia pene mutila sunt et imperfecta), novam hujusce scriptoris faciem, novam formam, novumque cultum adhibitum fuisse deprehendet: id quod ex præfatione proxime subjecta et notis castigatoriis ad calcem operis adjunctis manifestum evadet. Duplex nimirum est notarum genus, quibus pro eo, quem sibi ipse statuerat scopo, Cassiano opitulatus est; aliæ, quas castigatorias vocat, in quibus mss. variantes et emendationum causas exponit; his insuper adjecta est Elucidatio vocum Græco-Latinarum, quæ in Cassiano passim occurrunt, quarumque significatio paulo obscurior videbatur. Aliæ censoriæ dictæ, quas veluti antidota et amuleta quædam contra obscuriora aliquot loca et errores, tam in tertia decima, quam in aliis Collationibus obvia esse voluit, digressionum instar plenius de singulis tractant. Tenendum vero, quod tam in præfatione totius editionis, quam in admonitione ad notas illas censorias profiteretur et constanter se affirmare dicit, argumentis item astruere nititur, errores istos non tam ipsi Cassiano, quam Collatoribus, quos ille ita opinatos fuisse scribat, imputandos esse. Quod reliqua attinet, capitum distinctionem a superioribus editoribus receptam, quamvis mss. exem-

plaribus non omnino conformem deprehendisset, non temere tamen mutare voluit, libros vero de Incarnatione nondum distinctos, in capita digessit. Addidit indices, unum explicatarum ab auctore SS. sententiarum; alterum, insignium ac memorabilium rerum.

1588.

Romæ, ex typogr. Vaticana; in-8°. Joannis Cassiani Eremitæ de Institutis renuntiantium libri XII, Collationes sanctorum Patrum XXIV, ab innumeris pene mendis auxilio vetustissimorum codicum expurgatæ, et ad suam integritatem restitutæ. Adjectæ sunt quarumdam obscurarum dictionum interpretationes ordine alphabeti dispositæ: et observationes in loca ambigua et minus tuta, quæ pium lectorem offendere possent. Præterea indices duo testimoniorum sacræ Scripturæ, quæ a Cassiano vel explicantur, vel aliter, quam vulgata editio habet, citantur. Index postremo rerum memorabilium. Accessit Regula S. Pachomii, quæ a S. Hieronymo in Latinum sermonem conversa est, multo emendatior, quam antea.

Typographus Dominicus Basa dedicavit editionem Gregorio XIII Pontif. Max. († 1585) epistola data Romæ Kalendis intercalariis a. M. D. LXXX (1580). Tam in hac dedicatoria vero, quam in præfatione sua ad lectorem hunc laborem maxime opera cardinalis Antonii Carafæ susceptum ac perfectum esse significat. Quam quidem posteriori in loco declarat apertius, dum codicis jam editi et Petri Ciacconii manuscriptis marginibus aucti copiam ab eo sibi factam esse prædicat, ne ejus auctoritas deficeret, cujus (C. Ciacconii) opera iste labor susceptus esset. Addit deinde, Petrum Ciacconium cardinalis laudati cohortationibus Cassianum ab innumeris mendis expurgatum in pristinum splendorem restituisse, notasque addidisse, sed nomen ex modestia profiteri recusasse, seque igitur codicis Ciacconiani beneficio adjutum, Cassianum et emendatiorem et locupletio-rem simul emittere, quod multa Ciacconii manu de- nuo adjuncta reperisset, quæ librum illustriorem reddere possent. Sed ejusmodi augmenta, quæ speciose quidem ex utriusque editionis (hoc sibi vult antiquiorum et novæ) comparatione lectores discere jubet, præter Regulam S. Pachomii nulla deprehendimus. Sequitur vero hanc præfationem altera ad lectores quoque inscripta, quam quidem Ciacconii esse, ex superioribus non obscure intelligitur. Igitur ipsa verba, quibus operam suam declarat, apponamus: *Vaticana bibliotheca, inquit, octo nobis antiquissima exhibuit Cassiani exemplaria, et ex his quædam emendatissime scripta, ex quorum collatione innumerabilia loca sunt in hac editione restituta: sed*

(a) Hæc cum verbis antecedentibus rotundo pariter caractere exscriptis vix commode ab aliquo conciliari poterunt.

(b) Cassianus, inquit, testimonia sacræ Scripturæ fere omnia ex vulgata editione adducit, quam meliorem esse interpretationem et ad veritatem Hebraicam expressam affirmat. Verum quoniam LXX interpretes,

ea notare non fuit consilium, in immensum enim volumen excresceret; satis sit hoc loco monuisse, lectionem vetustorum codicum tanta a nobis fuisse religione conservatam, ut neque eorum varietatem, si quando inciderat, neglexerimus (a). Præter hæc Græcas voces, quibus hic auctor libenter utitur, et Latinas quasdam rudioribus consulentes, alphabeti ordine dispositas latius explanavimus, adductis eorum locis, ex quorum fontibus hausisse Cassianum existimavimus. Testimonia sacræ Scripturæ omnia diligenter conquisita in margine notavimus; et quæ erant ex LXX Interpretum editione, aut a nostra vulgata aliquando diversa, ne forte vitiosa crederentur, in indicibus formam digesta seorsim impressimus, quibus et Græca, unde sunt transcripta, conjunximus ex antiquissimo Vaticanæ bibliothecæ libro et aliis venerandæ vetustatis exemplaribus. Adjecimus et secundum indicem, loca in his libris obiter explicata continentem. Porro id quod erat maxime necessarium, adversus quasdam minus tritas hujus auctoris sententias, quod antidotum sit exhibitum, superiore epistola diximus. Scripsit quidem Cassianus hortatu Leonis I Pont. Max. luculentos libros de Incarnatione Domini contra Nestorium; sed eos quod nullum exstaret in Vaticana bibliotheca manuscriptum exemplar, ad cujus fidem emendari possent, et ab instituto nostro, quo hominem vere religiosum informare studuimus, multum distarent, omisimus, addita regula S. Pachomii, etc.

Hæc ille, qui si Ciacconius fuerit, dolemus quidem, eum non, ut a præcedenti editore factum est, aperte declarasse, quidquid muneris critici in Cassianum a se collatum sit, intelligimus autem, eandem ipsi in tractando Cassiano rationem ab Antonio Carafæ fuisse præscriptam, quam Cuychio placere sibi ille significaverat. Cujus summa quidem eo tetendisse videtur, ut lectores de locis Pelagianismum redolentibus monerentur. Idem enim, quod Cuychius in notis censoriis fecit, hic per observationes, ultimo loco ante indices exhibitas, præstare studuit, loca omnia, quæ Pelagianismi suspicionem generare possent, undecim propositionibus complexus, quibus insuper pauca aliæ sententiæ Cassiani piam interpretationem desiderantes, nulla ordinis librorum aut collationum ratione habita, adjiciuntur. Has vero observationes antecedunt annotationum nomine explicatio- nes vocum Græcarum, quibus Cassianus utitur, alphabetico etiam ordine, sed uberiores ac crebriores, quam apud Cuychium, qui elucidationes istas castigatorias notis suis adjunxerat. His accessit etiam indiculus locorum Scripturæ sacræ juxta LXX versionem laudatorum (b), additis Græcis, unde desumpta sunt, ex vetustissimo Vaticanæ bibliothecæ libro et aliis correctioribus.

qui in omnium tunc manibus versabantur, imbiberat fit, ut loca quædam (sed præcipue ex Proverbiis, quæ fortasse jam olim in ejus memoria inseclerant) secundum eorum interpretationem citet. Ea nos, majori ex parte ab aliis non animadversa, aut negligentius castigata, et si qua alia a vulgata nostra editione aliquantulum discrepabant, in indicibus formam redigimus, etc

SÆCULO XVII.

1606.

Lugduni, in-8°. Joannis Cassiani de Institutione Renuntiantium libri XII, Collationes SS. Patrum XXIV. Occurrit in *Cat. Bibl. Musei Britt.* Ex titulo patet, repetitionem Romanæ esse; id quod Gazæus etiam in præfatione editionis suæ confirmat.

1611.

Romæ, typis Camerae Apostolicæ; in-8°. Joannis Cassiani Eremitæ libri XII de Institutis renuntiantium, Collationes SS. Patrum XXIV, libri VII de Verbi Incarnatione cum annotationibus et observationibus. Accesserunt Regula S. Pachomii; Regulæ SS. Patrum et S. Prosperi Aquitani liber de Gratia Dei et libero Arbitrio, et observationes in loca ambigua: omnia multo emendatiora quam antea excusa. *Cat. Bibl. Reg. Paris et Bibl. Casanatens.*

1616.

Duaci, ex typographia Baltazaris Belleri; in-8°, III tomis. Joannis Cassiani presbyteri, quem alii eremitam, alii abbatem nuncupant, Opera omnia. Novissime recognita, repurgata et notis amplissimis illustrata. Quibus accessere alia ejusdem argumenti opuscula, quorum Elenchum sequens pagina exhibebit. Studio et opera D. Alardi Gazæi, cœnobitæ Vedastini ord. Benedicti.

Tomus secundus duabus partibus constat, quarum altera incipit a præfatione Collationis XVIII, pagina 881, quæ est tituli ipsius. Utriusque tomi elenchus post titulum statim hic comparet. Insunt *tomo primo*; de Institutis cœnobiorum libri XII, cum commentariis et notationibus, Regula S. Pachomii olim a S. Hieronymo Latine translata: nunc etiam scholiis et notis illustrata; Flores Cassiani sive illustriores sententiæ et ipsius operibus collectæ. Joannis Cassiani de Christi Incarnatione lib. VII. *Tomo altero*: Jo. Cassiani Collationum PP. XXIV, commentariis et notis illustratæ. Dionysii Carthusiani Doctrina Catholica Collationi XIII substituta. D. Prosperi Aquitanici liber de Gratia Dei et libero Arbitrio contra Collatorem. R. D. Henrici Cuychii, episcopi Ruremondensis, annotationes sive *notæ censoriæ* ad Jo. Cassiani libros. Statuta duarum congregationum sive Capitulum generalium ord. D. Benedicti. Petri Ciacconii presbyteri Toletani observationes in Jo. Cassianum. Indices quatuor, quorum *primus* est locorum sacræ Scripturæ secundum vulgatam editionem passim in hoc opere explicatorum; *secundus*, quorumdam locorum secundum versionem LXX Interpretum; *tertius*, rerum et vocum quarundam in textu Cassiani occurrentium; *quartus*, in commentaria et notationes. Præfigitur et *tomo secundo* D. Anselmi, Cantuariens. archiep., Carmen divinum de vita monachorum et Laus vitæ monasticæ incerto auctore. Præterea, quid in hac postrema editione allaboratum aut curatum fuerit quod quidem ad sex momenta refert editor, ipsius verbis cognoscendum dabimus.

I. Primum quidem de textu Auctoris repurgando,

A aut reformando non magnopere laborandum existimavi, cum satis emendatum et enucleatum cum nobis reliquerint Cuychius et Ciacconius, viri doctissimi et accuratissimi, qui hac in re strenuam operam navarunt. Contuli tamen cum aliquot exemplaribus tum excusis, tum mss., et subinde quædam loca ab illis prætermissa, aut minus expensa correxi, aut excussi, et adhibita etiam Dionysii Carthusiani paraphrasi, lucem ascivi; quem tamen paraphrastem (salva tanti viri auctoritate) nonnunquam ab auctoris mente, ac sententia aberrasse submonui, lectoris interim iudicio arbitrandum.

II. Annotationes fere perpetuas adjeci, quibus non solum voces, et dictiones quasdam Græcas, barbaras, aut minus vulgatas elucidavi; sed et sententias quasque obscuriores, itidem quæstiones theologicas ad monasticum institutum spectantes, easque perutiles ex occasione occurrentes, quanta potui facilitate et perspicuitate pro captu juniorum examinavi: unde multi loci communes de rebus monasticis in usus quotidianos ac familiares depromi queant. Ingenue interim fateor subinde adjutum me tum notationibus Cuychii, tum Ciacconii, quas proinde et meis, publico bono consulens, ita inserui, ut tamen suas cuique auctori acceptas referrem, nihil alienum mihi vindicans. Neque vero mihi excidit illud Plinii ad Vespasianum scite scriptum; Benignum esse, et ingenui plenum pudoris lateri, per quos profecerimus.

III. Porro antiquos ritus, et instituta veterum monachorum tum in officiis divinis peragendis, tum in aliis exercitationibus asceticis curiose observavi, et velut in tabula depicta lectori diligentius inspicienda et contemplanda proposui: Ex quibus itidem, tamquam locis communibus, antiquitatum monasticarum studiosus intelligat, quibus auctoribus et observatoribus hujusmodi ritus et observantiæ monasticæ, quibus magna pars regularis disciplinæ continetur, quasi per manus traditæ ad nos pervenerint.

IV. Verum illud præcipue spectavi, et hoc potissimum nomine Cassiano me addixi, ut in gratiam, et obsequium commilitonum et confratrum meorum, ordinis, inquam, Benedictini cœnobarum (cui me Deus sua gratia inscriptum voluit) plerasque, ac præcipuas Regulas sanctissimi Patris nostri Benedicti, quantum in me esset, Deo juvante, prout se dedit occasio, ex Cassiano explicarem, et complures ejus locos ad Cassiani scripta, velut ad prototypum suum referrem, ac revocarem. Unde liquido apparet, quanta cura, quam pia et solerti æmulatione sanctissimus pater Benedictus veteres monachos imitari studuerit, et eorum vestigiis insistere, suoque exemplo et institutione suos cœnobitas ad eorum imitationem provocare.

V. Ad hæc sententias illustriores Cassiani similibus sententiis et elogiis SS. Patrum Basilii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, aliorumque passim illustravi, et roboravi, et ex illis nonnullas selectiores et breves, velut stellulas splendidiore, in unum collectas, et ordine digestas ad calcem operis seposui, quo et facilius memoriæ mandentur a junioribus, et tenacius infigantur.

VI. Ad extremum, ne quid lectorem in hujus operis

decursu remorari, vel offendere, vel quovis modo in errorem inducere posset, præter nostras annotationes, etiam alias observationes, et censorias notas tum Cuychii, tum Ciacconii adjungendas, et ad calcem itidem suo ordine collocandas duxi, quibus antidotis monitus quilibet Cassianum deinceps inoffenso pede percurrat, nihilque, quod ad operis perfectionem vel animi sui securitatem pertineat, amplius desideret. Quas quidem observationes diligenter iis prælegendas suadeo et moneo, qui non usque adeo in his versati, libros præsertim Collationum, aliosque utilissimos, et a SS. Patribus, Benedicto, Thoma Aquinate, aliisque, ut dictum est, teris solitos, utiliter ac salubriter versare voluerint. Subjecit igitur notas suas singulis statim capitulis, doctas ubique et frugi plenas. Præfationem præcedit epistola ejus dedicatoria ad Philippum Caverellium cœnobii Vedastini apud Atrebatas tunc præsulem, data ex æde ipsius et præpositura S. Michaelis, apparitionis feriis Clj. Ij. CXV. Addita est etiam Cuychii præfatio. Utriusque tomi limen obsitum est carminibus gratulatoriis et anagrammaticis ad editorem, inter quæ etiam unum in secundo tomo, quod proprio commentario instructum est. Titulus tabula ex ære sculpta impressus est.

1617.

Lugduni, sumpt. Laur. Durand; in-fol. Jo. Cassiani Vitæ Patrum ex libris ejus de Institutis Renuntiantium et Collationibus excerptæ. In Herib. Rosweydi Vitis p. 563.

1628.

Coloniæ Agripp., sumpt. Ant. Hierat, in-fol. Jo. Cassiani presb. Massiliensis de Institutis cœnobiiorum libri IV, etc. : omnia ex recogn. Alardi Gazæi. In Bibl. PP. T. V. part. II.

1628.

Atrebat, apud Jo. Bapt. et Guilielmum Riverios, sub signo Boni Pastoris; in-fol.

Nova editio ab eodem denuo recognita, et a mendis, quæ irrepserant in priori, repurgata : commentariis ipsis tertia parte auctioribus illustrior reddita : novoque insuper in libros de Incarnatione, qui desiderabatur, commentario locupletata.

Præter ea, quæ in titulo promissa sunt, novo etiam ordine singula sunt disposita. Sic post Institutiones statim Collationes cum Doctrina Dionysii Carth. et Prosperi libro de Gratia sequuntur. Post quæ inserta sunt Cælestini papæ pro Prospero et Hilario, de Gratia Dei epistola ad quosdam Galliarum episcopos, item Canones concilii secundi Arausicani, cita tempora Leonis papæ primi de libero Arbitrio, etc., et D. Prosperi epistola ad Augustinum. Mox rursum post Cuychii et Ciacconii observationes legitur postremum de Cassiani doctrina Annotamentum excerptum ex Didaci Alvarez lib. I Disp. 2, § 3, de Auxiliis divinæ gratiæ et viribus liberi arbitrii. Tum demum libri VII de Incarnatione, Regula S. Pachomii, Flores ex Cassiano usque ad Indices exhibentur exclusis ab hoc corpore, quæ ex contentis primæ editionis in hoc novo elencho desunt. Textus per singula ca-

pitula ut in prima notis distinctus est, quæ columnis binis impressæ sunt. Titulus adest duplex, prelo alter, alter ære impressus.

1642.

Parisiis, apud Laur. Cottereau; in-fol. Joan. Cassiani opera omnia cum commentariis Alardi Gazæi, etc. Cat. Bibl. Reg. Paris. et Bibl. Jos. Renati Imperialis card.

1677.

Lugduni, apud Anissonios; in-fol. Jo. Cassiani Opera omnia ex ed. Alardi Gazæi; in Bibl. Max. PP. tomo VII, p. 17 seqq.

SÆCULO XVIII.

1711.

Parisiis, in-fol. Joannis Cassiani Collatio XIII, de Protectione Dei; cum Operibus Prosperi Aquit. p. 283 seqq.

1722.

Francofurti, sumpt. Thomæ Fritschii; in-fol. Jo. Cassiani Opera omnia ex ed. Alardi Gazæi. Cat. Bibl. Casanat.

1733.

Lipsiæ, apud Wetstenios et Smith; in-fol. Jo. Cassiani Opera omnia cum commentariis D. Alardi Gazæi cœnob. Vedast. ord. S. Bened. Quæ editio ab eodem denuo recognita, commentariis ipsis tertia parte auctioribus illustrior reddita : novoque insuper in libros de Incarnatione, qui desiderabatur, commentario locupletata.

Ut titulus ostendit, altera Gazæi editio accurate expressa est; quod prelo Amstelodamensi factum esse ex nitore typorum et insigni Westeniano in titulo impresso colligimus. Charta tamen aspera est et cruda.

II. Versiones.

1563.

Venezia, per M. Tramezzino; in-4º. « Opera di Cassiano Eremita delle Costituzioni et Origine de' Monachi, e de' Remedi e Cause di tutti i vizi, dove si recitano ventiquattro ragionamenti de' nostri antichi Padri... tradotta per Fr. Benedetto Buffi. Eremita de' Calmaldoli di Latino in volgare. » Cat. Bibl. Casanat.

1663.

Paris, chez Charles Savreux; in-8º. « Les Conférences de Cassien traduites en françois par De Saligny. » Cat. Bibl. Reg. Paris. Eadem versionem ab eodem bibliopola a. 1665 II tomis emissam Cat. Bibl. Tellerianæ, nec non aliam 1682. Lugduni ap. Jo. Matth. Martinum II tomis, Catal. Bibl. Casanat. laudant. Observant Benedictini Collationem XIII a traductore justis de causis esse resectam.

1667.

Paris, chez Ch. Savreux; in-8º. « Les Institutions de Cassien traduites en françois par De Saligny. »

III. Colices.

Hic eos solummodo notare licet, quos Cuychius

adhibuit, quippe qui non solum non sibi fas esse credidit lectores celare, ubi et quo jure a se textus mutatus sit, quod non nisi omnibus mss. exemplaribus consentientibus fecit, sed etiam ultro varias lectiones, de quibus ipse statuere non auderet, aliorum judicii exercendi gratia apposuit. Sunt autem numero sex, quos describere tamen non sustinuit.

I. Codex Affliginiensis abbatiae in Brabantia.

II. Codex canonicorum regul. in Corsendonck in Brabantia.

III. Codex Bethleemitici monasterii canonicor. reg. prope Lovanium.

IV. Codex canonic. regul. in Busco Domini Isaac prope Nivellam.

V. Codex Plantinianus.

Utinam vero Ciacconius quoque octo, quos contulisse professus est, Vaticanos codices hoc saltem modo indicasset.

IV.

Postremo loco nobis commemorandus erit liber, cujus seria quidem professio ea fuit, ut Cassianum post omnium superiorum editorum labores, correctiorem tandem, locupletiolem et auctiorem sisteret, sed cujus auctor nequaquam eam, quam sibi sperabat gratiam apud doctos iniit. En titulum: S. Joannes Cassianus illustratus, sive Chronologia Vitae S. Joannis Cassiani abbatis, et monasterii S. Victoris ab eodem Massiliae conditi, primariae inter Occidentalia canobia antiquitatis, ab anno Christi CCCCXX. Opera et studio P. Joannis Baptistae GUESNAY Aquensis, theologi e Societate Jesu. Accedit Elenchus sanctorum, virorumque illustrium et abbatiarum, prioratum, cellarum, ecclesiarum ab eodem monasterio dependentium. Item Onomasticum rerum et verborum difficiliorum in Commentariis S. Cassiani. Lugduni, sumpt. Antonii Cellier. 1652, in-4°.

Cave vero ne quid simile illi operae hic expectes, quam sub eadem epigraphe Chiffletius navavit Paulino Nolano. Scilicet quae ad Monasterium spectant, ea quidem satis bene se habent, ut ab auctore in his rebus diutissime versato et documentis vetustis abundante expectari potest (a). Sed quae de Cassiani vita disserit, ingenii se ipsum ludentis figmenta sunt et dudum ab omnibus explosa. Quae nova autem super Cassiani doctrina attulerit, optime ex ipsius verbis intelliges. Fatetur Guesnavius, operam editorum Cassiani non laudare, animi esse ingrati: attamen nondum ita dignitati illum esse restitutum, quin ne perire quidem tacite obscureque plura in eo genere concederetur, et alios praeterea oculos et manus postularet. Nunc ergo sperare se correctionem multo, locupletiolem et auctiorem quam uspiam antea eum proditurum. Nam id videor posse, inquit, in his controversiis haud temere proferri, satis me idoneum censerit testem debere, quamquam de caetero tenuitatem meam neque ignoro, neque inficior, quoniam

A de re agitur, quae maxime antiquis e codicibus et schedis pendeat, in quibus per annos plus duodecim diligentia quam maxima assidue versatus sum et nactus sum Tabularia sane quam luculenta usque potissimum instructa monumentis, quibus monasterii S. Victoris Massiliensis ejusque patriarchae et conditoris S. Cassiani initia fideliter et copiose explicata conservantur. Quibus item partibus sit auctior, facile est colligere et judicare ex commentariorum, quos in lucem edere instituimus, accessione. Vitam S. Cassiani et res praecclare gestas vix ab historicis veteribus delibatas et majori ex parte ignoratas ex ejus scriptis fideliter collectas primo commentario in multa capita descripsimus. Tum alterum subjecimus, in quo apertissime redarguitur inconsideratissima quorundam temeritas, quae sibi tantum jus censendi et judicandi de antiquorum scriptis usurpavit, ut ex ipsius Cassiani egregiis lucubrationibus, praeter ea quae S. Prosper jure refellit et erroris coarguit, magnam partem pro libidine aut indigne resecari voluerint, aut illius, quales nunc sunt, non esse reclamaverint atque suis ipsorum censuris vanisque commentis in infimas vilium scriptorum classes redegerint. Alterum de ejus gloria commentarium novo quodam modo veluti summam quamdam operis, rerum temporumque ordine servato, contextum calci hujus tomi I (?) adjecimus, ut palam fiat in ore omnium quantis praesantitate et doctrina virum prosequeretur honoribus ac studiis Ecclesia. Voluimus etiam inusitatas vias indagare, tritas relinquere interpretandi ejus sententias ex consuetudine aliorum Doctorum in explanandis caeteris Patribus, nec metiendi eas ut quidam indocti aut longitudine aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, aut immutatione verborum. Constat opus duobus libris, quorum primus capitibus LXIV Effigiem S. Cassiani, sive Ideam Vitae Religiosae proponit, alter de Gloria et Beatitudine ejusdem XXIX capitibus agit. Atque his inscriptionibus librorum satis mentem suam declarasse videri auctor possit. Quae frugi in iis sunt, ea ferme continentur in octo [posterioribus] libri primi capitibus, quorum titulos hic apponamus. Videlicet caput 57 inscribitur De Cassiani scriptis. Vera et legitima Cassiani opera quae exstant? Caput 58: Quae dubia et spuria? Caput 59: Quo loco, tempore et idiomate scripserit? Caput 60: Illustratur Religiosa disciplina eorumdem praecclaris Institutionibus et exemplis, et multum pietas publica promovetur. Caput 61: Collationes publicatae Massiliae primum tum alibi diversis temporibus ingentes excitant animorum motus. Caput 62: An ille idem qui a suo fonte fluxit Cassianus, doctrinae integer ac liturae purus ad nos usque pervenerit? Quod contra Baronium asseritur. Caput 63: An aliquos habuerit Cassianus benevolos ac benignos interpretes ac defensores. Ubi longa series Theologorum recensetur, quae minus caute a Cassiano enuntiata in meliorem partem interpretari conat

(a) Idem paulo post auctor factus est operis, quod titulum fert Massilia Gentilis et Sacra, et Lugduni

apud eundem bibliopolam prodit, 1657, in-fol.

sunt, cujus quidem interpretationis Fraternitatem Jesu ab omni tempore patronam sese exhibuisse constat. Caput 64 : *Errare Doctores Catholici possunt citra hæresis labem.* Atque hic finis est totius ejus disputationis et dicæ, quam in verbis supra allatis omni-

bus, qui non ubique Cassianum orthodoxa sapere fateantur, intendit : *Rationabiliter, inquit, debemus Catholicorum dicta in benigniorem partem quam possumus interpretari; hæreticorum vero in odium eorum perfectum juxta ipsorum hæresim æstimare.*

PRÆFATIO R. D. HENRICI CUYCHII.

Non est apud me dubium, benevole et candide lector, quin studium hoc et labor quem in D. Joanne Cassiano illustrando, et veterum codicum auctoritate ab innumeris mendis, quæ vel scriptorum ac typographorum incuria, vel alias ob causas irrepserant, repurgando recognoscendoque exantlavimus : apud complures, qui Auctorem hunc nostrum hæreticæ labis insimulant, improbabitur. Nam et Gelasius pontifex dist. XV, cap. *Sancta Romana* Joannis Cassiani opuscula inter apocrypha numerat. Et beatus Prosper contra tertiam decimam Collationem, quæ Pelagianæ hæreseos reliquiis pene tota respersa est, libellum edidit, cui titulum inscripsit, contra Collatorem. Verum sicut negari non potest obscuriora aliquot loca, et errores, tam in ista tertia decima, quam in plerisque aliis Collationibus inveniri : quos nos ad calcem totius operis annotavimus, et ne imprudens lector in eos impingeret, censorias notas, ac veluti antidota et amuleta quædam subjecimus : ita constanter affirmamus, hos non tam ipsi Cassiano, quam Collatoribus, quos ille ita opiutos fuisse scribit, imputandos esse. Nam hoc in primis ipsa ejus præfatio, quæ Collationibus præmittitur, coarguit : in qua se non sua, sed SS. Patrum et anachoretarum instituta fidei sermone narraturum pollicetur. Ea propter Collationis vigesimæ capite decimo, posteaquam commemorasset de Theona abbate, quod divortio ab uxore factio ad anachoreticam vitam sese traduxerat, ita subjecit : A lectore hoc primum depono, ut sive hoc ei placeat, sive displiceat, me quoquo modo a calumnia alienum esse concedens in suo hoc facto, aut laudet, aut reprehendat auctorem. Ego autem qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione complexus sum; æquum est ut sicut mihi de eorum qui hoc factum probant, laude nihil vindico : ita eorum qui id improbant, non pulser invidia. Quod etsi non passim ubi Collatorum recenset errores admonuerit, omnem tamen errandi suspicionem a se sustulisse videtur, quando se non sua, sed illorum quos loquentes introducit placita, ea qua ab eis acceperat fide narraturum, in ipso totius operis exordio promisit. Ut omittam quod in ipsis Collationibus frequenter dissonæ, discrepantes, et pugnantibus de gratia Christi sententiæ habentur. Nam alii exclusa gratia pene omnia referunt ad liberum arbitrium, alii contra sic commendant gratiam, ut liberum arbitrium exclusisse videantur. Quam sententiarum contradictionem non tantum in tertia deci-

ma Collatione, sicut a B. Prospero observatum est, sed in aliis etiam subinde licet deprehendere. Nam Collationis tertiæ cap. decimo Paphnutius abbas ita loquitur : Per quod manifeste probatur, et initium nostræ salutis Domini vocatione fieri, dicentis, *Exi de terra tua* : et consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cum dicit, *Et veni in terram quam monstravero tibi* : id est, non quam tu ex temetipso nosse, vel industria tua poteris reperire; sed quam ego tibi non solum ignoranti, sed etiam non inquirenti monstravero. Et cap. 12 : Nullus justorum sibi sufficit ad obtinendam justitiam, nisi per momenta singula titubanti eidem et corruenti fulcimenta manus suæ supposuerit divina clementia. Quibus licet adjicere ea quæ in consequentibus aliquot illius Collationis capitibus habentur : et quæ habet abbas Daniel Collat. 5 cap. 15, et abbas Serenus Collat. 7 cap. 20. Quæ omnia et his similia loca complura, cum ex diametro adversentur iis quæ in tertia decima Collatione de Christi gratia Chæremon Abbas sensisse scribitur, non possum in animum meum inducere Joannem Cassianum, qui, sicut libri de Christi Incarnatione ab illo scripti testantur, et in confutandis hæreticorum opinionibus, et in stabiliendis et confirmandis nostris, summa ingenii dexteritate pollebat, horum sententiis etiam inter se pugnantibus ac dissidentibus astipulatum fuisse. Exiguam enim admodum recte judicandi facultatem habuisset, si hanc opinionum pugnantiam quæ in Collationibus cernitur, vel non advertisset, vel ab ea sibi non cavisset. Accedit quod in hisce libris de Incarnatione Verbi, quos sub finem vitæ scripsit, rogatus a S. Leone Romanæ urbis archidiacono, qui Cassiano contemporaneus ac postmodum Romanus pontifex fuit ejus nominis primus, adversus Pelagianum quemdam Antiochenum episcopum disputat, sicut ex sexto et septimo libri sexti capitibus, et ex 31 cap. libri ultimi manifestum est. Cujus errores lectissimis optimisque argumentis ita insectatur et confutat, ut hinc liquido appareat ipsum Pelagianæ sectæ nequaquam patrocinatorum fuisse. Nec ferendum est, quod quidam illum a beato Chrysostomo propter hujusce erroris suspicionem explosum, ablegatum, vel ejectum fuisse asserunt, præsertim cum nulla istius suæ suspicionis evidentia aut certa documenta proferant : et ipse Chrysostomus quoque propter sui temporis grassantes hæreses liberi arbitrii vires nonnumquam ita extollat, quasi gratiæ Christi iniquior fuisse videatur : quamquam secus